

OVATIO: Eugene W. Miller

Fas est ut interdum gratiam referamus non solum iis qui temporibus recentioribus de disciplina nostra optime meruerunt, sed illis illustribus, et viris et feminis, qui temporibus praeteritis huic Societati et litteris Latinis Graecisque profuerunt. Talis est vir quem nunc laudo. Vir enim est longaeuus, iam nonum agens annum et octogesimum, qui velut Nestor, de quo scripserunt Homerus et Cicero, *tertiam aetatem hominum* iam videt. Primo saeculi vicesimi anno natus in oppido Pennsylvaniae transmontanae cui nomen est Apollo, in iisdem regionibus educatus est atque in collegio Thielensi et in Universitate Pittsburghensi adulescens et iuuenis litteris humanioribus studebat. Postea Philosophiae Doctor factus in academiis iisdem linguas et litteras Latinas Graecasque multos annos professus est. Huius societatis nostrae socius fidelis semper fuit ille; abhinc autem annos quadraginta erat societatis et scriba et aerarii praefectus, postea etiam praeses. Discipuli plurimi multis in academiis elementa linguae Latinae didicerunt *Fabulis Facilibus* de Perseo et Hercule et Ulixee in eius libro legendis atque ex libro eius altero nonnulli *Amphitryonem*, fabulam illius Macci Plauti, ab eo explicatam, primo cognoverunt. Vir prudentiae maximae et comitatis eximiae, amicus amico, discipulis suis semper consuluit et ab iis praecipue amatus est. Nunc autem post vitam longam et fructuosam velut phasellus ille Catulli "*recondita senet quiete*" neque iam, ut olim, ad conventus ventitat. Absentem igitur plaudemus Eugene W. Miller.

*Westminster College*

J. HILTON TURNER

OVATIO: Jerry Clack

Scripta ultima Vergilii—ut Suetonius dicit—amicus fidelis, nomine Varius, edidit, auctore Augusto, sed summatim emendata. Scripta multo variora, quae ex omnibus angulis mundi classici, amicus fidelissimus, nomine Ierius (aut fortasse Geraldus Claccus), diligentissime edidit atque emendavit atque etiam repudiavit, auctore Societatis nostrae. (Quo usque ei, qui edunt hunc libellum, et referunt pro hoc libello, te auctore, abutentur patientia tua?) Die natali tuo taciturnus praeses, ex civitate montium viridium, Albam Domum occupavit. Es verus alumnus regionis nostrae, ortu educationeque negotiisque. Ortu tuo potuisti esse pars eius, illius urbis quam amamus et Magnum Pomum appellamus. Gradum Artium Baccalaurei adeptus es in Universitate insigni tigribus. Multos annos quaerebas victum non in studiis academicis, sed in aliis negotiis: administrandis rebus humanis auspicio Nationum Foederatarum, tractanda procurandaque pecunia, dirigendo opere non fructuoso. Sed tum rediens in lucos academicos, Gradus Magistri in Artibus et Doctoris Philosophiae es adeptus, in Universitate collocata ubi duo magna flumina confluunt, ferrum chalybsque prociduntur, et piratae ludunt. Eodem anno quo homines

in lunam ambulaverunt, fiebas Professor in Universitate Duquesnensi. Illuminavisti carmina poetarum Alexandrinorum et scripta Latina aetatis argenteae. Et nemo tibi praecedit in servanda Societate nostra. Professor Poultney proposuit commendationem idoneam: Collegae et Amico Jerry Clack Pro Meritis Eximiis Societas Classica Civitatum MedioAtlanticarum Hoc Praemium Tribuit. Et revocemus verba recentia ab auctore fabularum Doonsburiensium, qui transtulit alium Geraldum in vestitum temporaque Romana. De hoc Geraldo hic dicitur, "Bonus vir es, Geralde Riveribus". De nostro Geraldo dicendum est, "Optimus vir es, Geralde Clack." Plaudemus igitur Jerry Clack.

*University of Maryland*

JUDITH P. HALLETT

OVATIO: Sister Therese Daugherty, S.S.N.D., Ph.D.

Horatius noster, quo ridens verum facilius dicat, recordatur "pueris olim dare crustula blandos doctores, elementa velint ut discere prima". Tu pariter laboras ut pueri puellaeque, et magistri magistraeque, prima elementa et altera difficiliora discere possint. Sed tu, Soror Theresa Daugherty, non dedisti crustula. Dedisti certamina; produxisti dies et duos dies et septem dies Latinos; novissime protulisti Orbem Romanum. Tu quoque es vera alumna regionis Medioatlanticae. Erudiebaris in elementis linguae Latinae Philadelphiae, urbe amoris fraterni et sane sororii, apud gymnasium Floris Parvi. Gradum Doctoris Philosophiae adeptus es in urbe non solum florum cerasorum, sed etiam patris patriae nostrae, qui se arborem cerasum praecidisse fassus est. Plus quam viginti annos sustinuisti studia linguarum et societatum antiquarum in urbe quae legit, urbe diviti scalis albarum marmorearum. Academiam Nostrae Dominae in Mariae Terra clarissimam fecisti eos qui discunt et docent linguam Latinam, et in gymnasiis tuae civitatis et in eis reipublicae Virginiensis. Bis hospitium gratissimum obtulisti contionibus sodalitatibus Eta Sigma Phi. Cohors huius sodalitatibus in Academia Nostrae Dominae honoratur exemplo imitando omnibus aliis cohortibus. Tua vis et verecundia, tua humanitas et hortamenta magni aestimantur. Te laudant decani, collegae, et alumnae tuae Academiae, in memoriam revocantes amorem studiorum classicorum quem inspiravisti discipulis omnium aetatum. Hunc amorem, et omnia benefacta tua, quoque nunc celebramus. Adest grex discipulorum, ex gymnasio cuius nomen memorat poetam Americanum, scriptorem "Foliorum Graminis". Edet ludum qui praemium meruit in tuo novissimo die Latino. Spectatores, estis in taberna Romae Antiquae. [skit by Walt Whitman High School will followed] Plaudemus igitur Sororem Therese Daugherty.

*a. d. IV Kal. Mal. MCMLXXXIX Beltsvilliae, in Civitate Mariae Terrae*

*University of Maryland*  
CW 82.6 (1989)

JUDITH P. HALLETT

## OVATIO: Edna S. DeAngeli

Cui donamus meritum novum honorem, carum modo publice exhibitum? Sodalis, tibi. Nam tu solebas nostros esse aliquid putare conventus iam tum, et—dux femina facta—philologorum Atlanticorum omnem tribum adiuvare modis doctis, pro Iuno, et laboriosis! Amoris fraterni—et sane sororii—in urbe es nata, eodem anno quo, in oppido fabarum et Celticorum, tricentus quintus praeses harum civitatum foederatarum in luminis oras venit. Tam ortus tuus, quam vita tua: in eadem civitate, quae “clavem-lapidem” per ludibrium se vocat, proprie nominata ab silvis conditoris eius, discipula eras, doctor fiebas, emerita manes doctrinae Graecorum et Romanorum. Cum Gradum Scientiae Baccalaureae adeptas es, in Universitate Templo nomine, alma matre Cosbii, patria nostra, nondum bellum gerens, cinematicae fabulae nostri belli civilis gaudebat, quam—ut similem obitui reginae Didonis—Vergilius noster “in ventos vita recessit” appellavisset. Duodecim annos linguas et Romanorum et Gallicorum erudiebas in gymnasio prope Collegium Ursini, quidem in vico Collegiali. Eodem anno quo noster praeses tricentus quintus electus est, Gradum Magistrae in Artibus adeptas es, in universitate condita ab egenti scriptore operarum dierumque, inventore virium fulminum. Post quinque annos Gradum Doctoris Philosophiae adeptas es, dissertatione de carminibus Catulli scripta. Multa studia de hoc poeta et de lingua Latina in medio aevo edisti. Nonnulla prolata sunt in libello Societatis Nostrae, qui Anglice Classical World designatur, quem tres annos ut adiutrix ipsa edebas.

Sed eodem anno quo tricentus quintus praeses intempestive interfectus est, incipit vita nova. In Universitate Lehighensi orsa es cursum honorandum disciplinae, primum facta instructor, tum professor adiuvens, deinde consociata, denique professor et auctor munerum. Quamquam ab his strenuis officiis abhinc septem annos te removisti, illo anno fiebas praeses auctoritatemque huius Societatis assumpsisti. Ut quaedam collega ad nos scripsit, collegae tui te reverentur adorantque: fervorem et festivitatem non solum habes, sed etiam creas alendo, curando, suadendo. Quare habe tibi quidquid hoc honoris quaecumque: quod, o patrona matrona, plus uno manebit perenne saeculo.

Magna recordantibus benefacta priora voluptas est nobis, cum te cogitamus esse piissimam. Plaudamus igitur Edna DeAngeli.

## OVATIO: Andrew Aronson

Quis multa gracilis te iuvenis in opera, perfunctus pecuniaribus urget laboribus, alto, Philologia, sub obelisco marmoreo? Et non solum gracilis, sed etiam humilis, similis—si parva licet componere magnis—apibus in Vergilii carmine, et dissimillimus istis senibus severioribus in Catulli carmine. Fabarum et Celticorum quidem in oppido nuperius natus est, nam solum hoc ipso anno pervenit ad aetatem civitatibus foederatis praesidendo idoneam. Mox autem migravit in regiones Societatis Nostrae, instructus in quodam gymnasio illae civitatis propter Hortos illustris. Tum gradum Artium Baccalaurei insigniter adeptus est in Academia Kenyonensi, quae inter alumnos histrionem, oculis

caeruleis et tabella argentea, Paulum Novum Hominem nomine, numerat. Anno paenultimo studiorum, more Tullii nostri, Atheniensem doctrinam in situ imbibit. Postea se tradidit perdiscendae linguae Graecorum nostri saeculi, in universitate Anglica quae et scriptorem et facetum librum de scholasticis, Mundum Parvum titulo, alit inspiratque. Gradum Magistri in Artibus adeptus in Universitate Indianensi, instruit filios filiasque illae civitatis sententia “Mihi Monstra” notae, in regione australi et occidentali.

Sed eum laudamus propter laborem in gymnasio Amicorum Sidwellensium; eum quoque et aequè laudamus propter industriam salutarem sodalitati amatorum antiquitatis, in urbe “cui nomen eius ducis est inditum qui, regis Britannici legionibus superatis, suos cives in libertatem vindicavit.”\* Coepit adnuere huic urbi (heu, nondum civitati sed coloniae) atque huic gymnasio abhinc septem annos. Discipuli eius, eum laudantes, humanitatem, fervorem, aequitatem, modum provocantem docendi et eruditionem memorant. Ut decet alumno Academiae quae lumen tabellae argenteae produxit, instituit in ipso gymnasio aestivum theatrum cinematicum, ubi opera praeclara huius generis deligit et victus delectabiles vendit. Ad Speculum Romanum, volumen institutorum de Romanis antiquis, in lingua Latina scriptorum, productum ab philologis Universitatis Mariae Terrae, fultum nostris vectigalibus publicis, contulit institutum de moribus nuptialibus Romanis. Stipendio ab fonte pecuniae privato honoratus, in Italia novissimam aetatem egit, meditans auxilia de monumentis Romanis videnda. Cum professore Virginiensi nunc scripsit libellum, in serie quae Ecce Romani vocatur, carmina Catulli et Horatii continentem et explicantem. Fidelissime domum servavit (id est, Societatem Classicam suae urbis, ubi functus est praefecti aerarii officiis). Lanam autem non fecit.

Dulce et decorum est cum hoc collega, causa Philologiae, vivere. Plaudamus igitur Andrew Aronson.

*a.d. III Kal. Mai. MCMLXXXVIII Philadelphiae, in civitate Pennsylvaniae*

*University of Maryland  
CW 81.2 (1988)*

JUDITH P. HALLETT

\*Arthur F. Stocker, “Ovationes,” *CJ* 80.1 (1984) 74, cui scriptor multas gratas agit.